

enigmata q̄ in hac vita inveni.

par. s̄ nō potat p̄fic. in m̄



Freiherr v. Ende-Altjessnitz.



XXVI.
SOLO FAVENTE DEO.

DECAS

TESTAMENTARIARUM
QVÆSTIONVM,

Quam

*Ad l. 1. 2. 3. 4. 8. 9. 12. 13. & 14. ibiq; notata
Doctorum C. de Testamentis.*

*Auctoritate & decreto amplissimi Jure Consulto-
rum Ordinis in Academia Lipsiensi.*

SIGISMUNDUS FINCKELTHAUS,
J. U. D. & P. P. publicè discutiendam
proponit.

ET

Respondendo defendet

ABRAHAMUS à Rosß Eques Misnicus.

Ad diem 4. Junii, horis locoq; consuetis.

ANNO

M. DC. XXII.



Excudebat Lipsiæ Justus Jansonius Danus.



QUAESTIO PRIMA.

Utrum error communis hoc jus faciat, ut Instrumentum à putativo Notario confectum, vim habeat probandi?



Distingvendum esse censemus, inter Instrumentum Testamentarium, & quodvis aliud: Ut illud habeatur firmum, hoc non. Ad L. r. C. de Testam.
Ratio pro instrumento Testamentario est, favor ultimarum voluntatum: Stricto quidē jure & hoc est illegitimum, sed ex singulari Imperatorum liberalitate ei subvenitur. *arg. L. nost. 1. ibi: non in hac causa. C. h. l. §. sed cum aliquis. 7. ibi: subvenire se ex sua liberalitate testamento. Inst. de testam. ordinan.* Ratio pro quovis instrumento alio est, (1.) quia ut legitimum sit instrumentum & vim habeat probandi, requiritur, ut qui illud confecerit, Notarius fuerit publicus legitimè ordinatus, *arg. l. generali. 3. ibi: liberi homines ordinentur. C. de tabulariis. l. actuarios. 7. C. de numerariis, actuariis.* aliàs irrita dicuntur quæ vetita contrectaverint. *d. l. actuarios. 7.* Putativus autem ritè creatus non est. E. non magis notarius dici potest, quàm tutor non legitimè constitutus *l. Paulus. 221. de V. S. l. 1. ff. quod falso tutore auctore gest. falsus procurator. L. licet. 24. C. de procurator. iuncta l. licet. 56 ff. de judiciis. falsus creditor. l. falsus. 43. ff. de furtis.* (2) quia error communis non facit jus, siquidem valdè absurdum videtur, ut jus Romanum, quod semper æquum & bonum est,

A 2

l. 1. in

*l. 1. in fin. pr. ff. de justit. & iure, quod ex naturalibus noti-
tiis, justis & certis rationibus, honestati & publicæ uti-
litati convenientibus collectum est, §. hujus studij. 4. in
fin. 4. J. de just. & iur. l. 1. §. 2. in fin. ff. eod. ex erroribus ortum
ducat. (3) quia omne jus oritur ex consensu, qui vel
expressus est, vel tacitus, nihil autem consensui tam
contrarium est, quam error. l. si per errorem. 13. ff. de ju-
risdictio.*

Q. 2.

*Ad l. pub-
licati. 2.*

Si unus, vel plures ex testibus testamentariis
ante publicationem testamenti, vel etiam omnes
mortui sint, an nihilominus subsistat testamen-
tum, an verò concidat? Subsistit.

Rat. (1) quia nullus est in jure civili locus, ubi di-
catur, prædictis casibus intercidere testamenti fidem.
(2) quia alias incerta essent omnia testamenta, quæ ta-
men ut exitum habeant, publicè expedit. l. vel negare 5.
ff. testam. quemad. aperiantur. Vix enim est in tanta ho-
minum mortalitate, ut ante publicationem, inter
quam, & ipsam testamenti factionem mora aliqua
intervenire solet, non moriatur aliquis ex testibus ad
solennitates testamenti adhibitis. (3) arg. l. testamenti.
2. C. quemadm. testam. aperiantur. Ubi absentibus testibus
aperiri tabulas permittitur, modò eorum loco honesti
viri adsint, qui de fide tabularum cum iudice inqui-
rant, an aliquid ex solennibus omissum sit, vel non.
(4) quia recognitio sigillorum non est de formali testa-
menti solennitate, sed subscriptiones ipsæ & signacula.
l. hac cõsultissima. 21. in fin. prin. vers. finem a. C. b. t. Recogni-
tio enim saltem est referenda ad probationem solen-
nitatis:

nitatis: sufficit igitur, si constet de subscriptionibus & sigillis: Per quos verò recognitio fiat, nihil aded refert, siquidem non minus verum est, Titii subscriptionem & sigillum esse, quod non à Titio ipso jam defuncto recognitio facta sit, sed ab aliis personis fide dignis. (5) quia ea quæ meri facti sunt, ut hoc loco mors testis, non possunt operari, ut ea, quæ semel legitimè peracta fuerunt, pereant. *arg. l. nost. 2. ibi: casu. & ibi: nihilominus valet.* Quid enim potest imputari testatori, qui omnes adhibuit solennitates, quas adhibere debuit?

Q. 3.

An Princeps legibus sit solutus?

Legibus divinis (1) solutus non est. Ratio est, quia lex Imperatorum non supra legem Dei est, sed subtus. *Cano. 1. distinct. 10.* Hic enim nullus princeps, sed omnes Deo sunt subditi, idè & summus princeps est obligatus, ut juxta leges primæ & secundæ tabulæ à Deo O. M. summo legislatore promulgatas vivere debeat. Hinc piè pontifex (utinam & ipse observaret) Non licet, inquit, Imperatori, aut cuiquam pietatem custodienti, aliquid contra divina mandata præsumere, nec quicquam quod Evangelicis, Propheticis, aut Apostolicis regulis obviet, agere. *Cano. 2. distinct. 10.* Sicut enim in potestatibus societatis humanæ major potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus. *Can. quæ contra. 2. in fin. distinct. 8.* Impura itaq; & scorto famoso magis, quàm Augustâ digna vox Juliæ ad privignum Antonium Caracallam: Si libet, licet, an nescis te Imperatorem esse, & leges dare non accipere?

Legibus naturæ & rectæ rationis (2) solutus etiam

A 3.

non

Ad L. Ex.
imperfe-
cto. 3.

non est. Ratio est, quia legem naturæ rectamq; rationem non accepimus, sed ex ipsa natura arripimus, haufimus, expressimus, ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus. *Cicero pro Milone.* Unde Dei lex est, jus naturæ, inde & jura naturalia dicuntur immutabilia, §. *sed naturalia. 11. J. de iure nat. gent. & civ.* hinc etiam quoad jus naturale omnes homines æqualis sunt sortis & conditionis. *l. quod attinet. 32. de R. J.*

Nec (3) jure gentium, ex quo obligationes, pacta & conventiones ortæ sunt. *l. ex hoc jure. 5. ff. de justit. & jure. l. Juris gentium. 7. ff. de pact.* Ratio est, quia ad has ipsa natura & honestas principem impellit, siquidem nihil magis naturæ consentaneum est, quàm ut ea, quæ semel placuerunt, inviolabiliter, etiam cum privato & proprio sui detrimento servare *l. 1. pr. ff. de pactis.* Et nisi Princeps ex contractibus obligaretur, nemo inveniretur, qui cum ipso contrahere vellet. Atq; ita qui omnium præsul est, constitueretur omnium exul, ut scitè loquitur *Zasius ad l. princeps. 31. n. 6. ff. de legibus,* quod de Principe dici non debet.

Nec (4.) princeps solutus est legibus fundamentalibus. Ratio est, quia ad earum observationem publicâ cum Imperii statibus in itâ conventionem se devinxit, imò certis conditionibus, quibus ad imperium evchitur, est obstrictus, quæ uti ex æquo omnes mortales ligant, ita in primis principem: cum. n. hæ leges cum majestate conjunctæ sint, idè iis abolitis & ipse Reip. status necessariò evertitur. Videatur Capitulatio, quam invictissima Majestas Cæsarea Ferdinandus II. Anno 619. 28. Augusti Francofurti ad Mœnum juramento confirmavit.

Status



Status itaq; controversiæ est hic: Utrum Princeps sit solutus legibus positivis & merè civilibus? Id quod affirmamus: Nec tantum caducariis, ut volunt *Cujacius, Pacius, Niellius*: Nec solùm etiam solennibus juris, ut sentiunt *Donellus, Corasius, Bronchorst*: Sed omnibus omnino legibus civilibus & positivis: Nec ut saltem videatur solutus, ut autumat *Gotofredus*, sed ut revera sit, jure majestatis. Rat. (1) est, quia gaudet majestate plena ac summa. *l. sed & quod principi. 6. f. de iure nat. gent. & civ. l. 1. ff. de constit. princip.* (2) per Textus in *l. princeps. 31. ff. de legibus. l. nost. 2. ibi: lex imperij solennibus juris Imperatorem solverit. l. fin. ibi: legibus soluti. Inst. quibus modis testam. infirmentur. l. ex imperfecto. 23. in fine. ff. de legat. 3. Nov. 105. cap. 2. §. 4. in fin.*

Quamvis autem princeps legibus civilibus, civili ratione & ex necessitate, non teneatur, nihil tamen dignitati ipsius detrahatur, si eas ut **RATIONES** observet ex obsequio voluntario: ut ita inter Legem Imperii & Vocem Regnantis commodè distingvi possit: **LEX** etenim Imperii est, ut legibus sit solutus: *h. l. nost. 3. ibi: licet enim lex imperij.* **VOX** regnantis est, ut princeps nolit uti lege imperii, sed legibus quibus solutus est, vivere malit. *l. digna vox. 4. C. de legibus.*

Ex his utilitas hujus quæstionis etiam in Materia Testamentaria apparet: Testamentum enim ratione solennitatis imperfectum, nullo jure valet, adeò ut nec Imperator ex eo capere aut adire hereditatem possit aut velit. *h. l. nost. 3. d. l. fin. f. quibus mod. testam. infirm. d. l. ex imperfecto. 23. ff. de legat. 3. l. cum heredes. 7. C. qui testam. facere poss.*

Q. 4.

An

Ad l. si in
nomine.
4.

An falsa demonstratio vitiet testamentum?
Neg. si corpus nomine denotatum, non sit incertum.

Per nostr. L. si in nomine. 4. ibi : error huiusmodi nihil officit veritati. C. b. t. Ratio est, quia nihil opus est verbis, cum res, cuius gratia comparata sunt, certa est, & apertè cognosci atq; intelligi potest. § siquidem in nomine. 29. J. de legat. Perinde igitur est, si quis nomine proprio, siue certa aliqua periphrasi, ac demonstratione ab officio, dignitate, artificio, vel aliis qualitatibus designetur. l. qui habebat. 28. ff. de rebus dubiis.

Q. 5.

Ad l. Casus 8.

An in testamento tempore Pestis condito, testator septem testes adhibere debeat, an verò minor sufficiat numerus?

Magni Jureconsulti variè hac de re sentiunt, quidam duos, quidam quinque requirunt. Atque hæc varietas ita movet *Julium Clarum lib. 3. sentent. §. testamentum. q. 56. n. 3.* ut existimet, hanc arduam esse quæstionem, & indigere decisione vel saltem provisione Cæsarea. Nos de jure civili verius esse statuimus, testamentum tempore Pestis conditum, coram minori quàm septenario numero testium non valere.

Ratio (1) est, quia standum est regulæ generali, quæ in testamento scripto requirit septem testes, l. hac consultissima. 8. C. qui testam. facere poss. donec probetur exceptio. (2) per text. l. nost. Casus 8. Hanc enim L. de Peste ex communi Dd. opinione accipimus. Idq; ex verbis proba-

probare nos posse confidimus. Est enim Pectis (1) casus major, hoc est, morbus atrocior. Est (2) casus novus, puta, quando contingit in aliquo subito & præter omnem spem nullo indicio præmissio. Est & (3) nulla alia ferè contagio, quæ testes ita deterreat ac pestis.

Dicitur verò in *b.l.s.* Aliquid in Testamento tempore pestis, de summo jure relaxatum esse, scilicet conjunctionem testium, sed non etiam numerum testium solennem: *ibi: non etiam conveniendi numeri: vel ut alii legunt, non etiam convenientis numeri, scilicet 7. testium.* (3) quia testatores sibi imputare debent, quod non citius testati fuerint, potuerunt enim verisimiliter cogitare, se peste grassante tantum numerum testium non facile invenire posse. *arg. l. si quis domum. 9. §. 1. ibi: quia hoc evenire posse prospicere debuit. ff. locati.* (4) quia finis septem testium in testamento adhibendorum est, ne falsitas committatur. *l. questionem. 32. versic. Lex etenim. C. de fidei commiss.* Idem igitur periculum, & quidem majus etiam propter timorem & absentiam hominum pestis tempore metuendum. (5) quia ob testium defectum facultas testandi impeditur *l. conficiuntur. 8. §. codicilli. 2. ff. de jure codicillor. l. si quis. 2. ff. si quis aliquem testari prohibuer.* Non ergò testium conveniendorum difficultas excusabilis est, cum legi scriptæ sit parendum. (6) quia nec necessitatis prætextus hîc attendi potest, cum nec rusticis, quibus numerus testium in casu necessitatis remissus est, infra quinque testes ullo testari modo concessum sit. *l. fin. C. h. t.* Imò necessitatis casus unitate, vel binario numero, vel etiam omni testium absentia testamentum conservaret, ex paritate rationis, quod absurdum. In his terris Saxonis Serenissimus

simus Elector Saxonix constituit, ut si quis peste correptus decumbat: vel si alicujus domus lue pestifera sit infecta, testamentum coram tribus vel duobus testibus condere possit, *C. Elector. 4. par. 3.* Quæ constitutio procedit generaliter tempore pestis in urbe, puta tam de testatoris quam vicini adibus: Ratio constitutionis videtur esse timor pestis, justa enim causa timoris seu periculi futuri tantandem operatur, quantum ipsum periculum præsens *l. habitatores. 27. §. 1. ff. locati.* Facit generalis rubrica *d. const. 4.*

Q. 6.

Ad l. si non
speciali. 9.

An testamentum juxta statutum loci alicujus conditum, etiam ratione illorum bonorum, quæ extra territorium sita sunt, valeat?

Casus sit hic: Testator (A.) Venetiis testamentum ex formula juris canonici, coram duobus puta testibus & presbytero, juxta *cap. cum esses. 10. ext. de testament.* condidit: Q. An illud etiam vigorem obtineat ratione bonorum, quæ in eo loco sita reperiuntur, ubi in testamenti factioe juris communis solennitates exiguntur? Et verior nobis videtur opinio affirmativa, quæ etiam receptior, & judicando in Camera obtenta est. *Geil. 2. obs. 123. n. 1. & 2. Myns. cent. 5. obs. 20. n. 4.* Rationes sunt ((1) quia actus secundum loci consuetudinem semel legitimè perfectus, ubicunq; vigorem suum obtinet, *argum. l. si fundus. 6. ibi: in qua negotium gestum est. ff. de Eviction. l. semper. 34. ibi: quod in regione in qua actum est. de R. J.* (2) quia *L. nostra 9.* vult, ex speciali privilegio certi loci, testamenti solennia relaxari posse, &

se, & testamentum ita factum valere. (3) quia nisi id
diceremus, perverteretur ipsa natura testamenti, quip-
pe quoad bona extra territorium succederetur ab in-
testato, quoad reliqua verò ex testamento. Et sic te-
stator pro parte testatus, pro parte intestatus decede-
ret, quod testamenti natura non patitur *l. jus nostrum. 7.*
ff. de R. J. l. 56. de hered. instituend.

Q. 7.

An numerus septem Testium sit de forma Ad l. si u-
nus. 12.
probatoria, an verò, ut Dd. loquuntur, de forma
substantiali ipsius testamenti?

Numerum septenarium de Jure civili esse de so-
lennitate, seu formali ac solenni ordinatione, sequen-
tibus rationibus probamus. Rat. (1) est, quia destructo
septenario numero testium, destruitur testamentum
solenne, & posito, cæteris paribus, ponitur. *h. l. nost. se-
unus. 12.* ubi si deficit unus testis de septem, testamen-
tum dicitur ipso jure nullum. Quod certè non dice-
retur, si hic numerus saltem ad probationem pertine-
ret, alias enim non annullaretur ipso jure, cum non jus
deficeret, sed probatio. (2) quia Testamentum hinc
inde in jure pendere dicitur ex solennitate ordinatio-
nis & solenni numero testium. *l. nost. 12. ibi: non ad juris
solennitatem. l. casus. 8. ibi: reliqua testamentorum solennitas.
C. h. t. l. fin. vers. cum enim res, ibi: per testium solennitatem. C.
de fideicommiss.* (3) quia probatio potest æquè per duos,
tres, quatuor vel quinq; testes explicari, *arg. l. ubi nume-
rus. 12. ff. de testibus. l. fin. C. h. t.* (4) quia si testium hic nu-
merus potius probationis quàm solennis ordinatio-
nis est,

B 2

nis est,

nis est, nemo feminam ab hac probatione exclusit, eum & illam in variis negociis probare posse animadvertamus. *l. ex eo. 18. ff. de testibus.* Et testamentariae veritatis probatio minimè sit angustanda. *l. quoniam. 21. vers. ceterum. C. de hereticis.* Quod tamen est contra *l. qui testamento. 20. §. mulier. 6. ff. qui testam. facere poss. §. testes. 6. J. b. t.* ubi mulier non potest in numerum testium adhiberi. Ratio igitur hæc manet, quod solennitatum juris civilis non sit capax.

Q. 8.

Add. *l. si unus. 12.*

An testes testamentarii olim annulo præcisè an verò alio quovis signo testamentum subsignare potuerint? Putamus, de jure civili annulum tantum fuisse necessariò adhibendum.

Rat. (1) ex hac *l. nost. 12.* est hæc; Si unus de 7. testibus defuerit, vel coram testatore omnes eodem loco testes suo vel ALIENO ANNULO non signaverint, jure deficit testamentum, Atquin ubi alio impresso quàm annulo signaverint, non utiq; suo vel alieno annulo signarunt. E. jure deficit eo casu testamentum. (2) quia juris auctores, ubi de subsignatione testamentaria principaliter tractant, nominatim annuli mentionem faciunt. *h. l. nost. 12. l. ad testium. 22. §. si ab ipso. 2. ibi: annulum accepero. Et §. signum. 5. ibi: Et magis est, ut tantum annulo quis possit signare. ff. qui testam. facere poss. ubi notanda decisio ex loco diversorum sumpta: Etsi homines variè signare consueverunt, tamen ad signanda testamenta annulus tantum signatorius characterem habens requiritur. §. possunt. 5. ibi: omnes testes*

testes & uno annulo. Et ibi: Septem annuli. Et ibi: Sed & a-
lieno quoque annulo. J. b. t. (3) quia solennitatis hujus te-
stamentariae duplex ratio reddi potest: Prima est, quia
testamentum est à libero homine sub fide signandum,
annulus verò ingenuitatis & fidei erat signum. Macro-
bius lib 7. Saturnal c. 13. Secunda est, quia facilius fraus
& corruptio testamentorum evitari potest, si signis
tantum exquisitoribus, qualia annulis insculpeban-
tur, non quibuslibet obviis in ultimis voluntatibus
locus sit, cuius cavendae ergò, reliqua etiam solennia
singulari cura prudentiâque excogitata sunt. l. fin. C.
de fideicom. l. hac consultissima. 21. l. cum antiquitas. 28. C. h. t.
Cum enim testamentum de omnibus defuncti facul-
tatibus disponat, & hinc non vulgari periculo exposi-
tum sit. §. jubemus. 29. C. h. t. non debet propterea alie-
num à ratione videri, si exquisita solennitas in eius
confectione requiratur. (4) quia quod alieno annu-
lo signare licet. §. possunt. 5. J. b. t. hoc ideò permissum
potissimum videtur, ne alio quopiam signo testamen-
ta signentur. Hodie hæc sententia ab usu recessit, si-
quidem Imperator Maximilianus in Reichsabschied An.
1512. zu Cöln. Rubr. von Testamenten §. die Form eines
Testaments in Schriften ponit verbum generale, Signes
ten oder Siegeln.

Q. 9.

An uxor de bonis suis mobilibus, quæ jure Ad l. testā-
Saxonico post mortem suo marito superstiti di. 13.
debentur, in mariti præjudicium testamentum
facere possit? Neg.

B 3

Ratio

Ratio (1) quia nemo in suo testamento cavere potest, ne leges in suo testamento locum habeant. *h. l. 13. l. nemo. 55. ff. de legat. 1. l. nec ex pratorio. 27. de R. J. l. si quis inquilinus. 112. §. si quis scripserit. 3. ff. de legat. 1.* Sed lex est Saxonica, quod maritus mobilia uxoris post ejus mortem lucretur. *lib. 1. Landr. art. 31. & lib. 3. art. 76. Rauchb. p. 1. q. 39. in princ. Coler. p. 2. decis. 221. n. 2.* ubi ita consuetudine generali obsetvari testatur. *Heig. p. 2. q. 15. n. 2.* ubi hoc indubitatum esse refert. Unde & mobiliaris vel statutarius successor appellatur. *Petr. Pec. tract. de testam. Coniug. lib. 1. c. 45. n. 13. Rauchbar. par. 1. q. 31. n. 15. E.* (2) quia quod ex lege datum est lucrum, id auferri alicui nullo modo valet, etiamsi quis decies milies hoc facere tentet, ut ait Imperator in *Novell. 23. cap. 33.* Sed in Constitutione Electorali 7. part. 3. expressè deciditur, quod uxor non possit per testamentum adimere marito, quæ post ipsius obitum è bonis suis debentur. Ea verò sunt mobilia. E. (3) quia mobilia hæc considerantur jure Saxonico recepto, ut debitum radicatum, necessarium, ac legitimum. Quod autem certâ lege radicatum & ita necessarium est, id non potest per hominem auferri. *arg. l. si arrogator. 22. §. 1. ff. de adoption. sive absq; ejus in cujus persona radicatum est, facto & consensu eradicari. l. id quod nostrum. 11. de R. J. seu alienæ voluntati subiectum esse nequit, sed tanquam æs alienum præstandum est, adeoq; ex bonis defuncti deducendum, etiam facto testamento. l. subsignatum. 39. §. bona. 1. de V. S. l. mulier. 72. ff. de jure dot.* Secus est, si maritus conjugii testanti consentiat. *Zobel. in addit. ad Landr. lib. 1. art. 24.* ubi hoc ita in practica observari ait. Ratio est, quia facilimè juri futuro & quærendo renunciari

ciari potest. *l. si quis in conscribendo. 29. C. de pactis.*

Atq; hanc opinionem procedere etiam putamus, quamvis uxor nulla alia bona quam mobilia habeat. Ratio est (1) quia tum mulieri adimitur testandi facultas non directò, sed saltem in consequentiam: multa autem per consequentiam licita sunt, quæ directò prohibentur. *l. quadam. 62. ff. de acquir. rer. domin.* (2) non tam vi statuti, quam ob defectum & carentiam bonorum.

Q. 10.

An appellatione Testamenti generali Codicillus contineatur? Nega.

Ad L. nom
Codicil-
lum. 14.

Ratio (1) quia usus juris nullibi verbum Testamenti detorsit ad significandam omnem ultimam voluntatem, unde nec usquam Codicillus in iure civili Testamentum appellatur, licet sit quandoq; modus declarandi ultimam voluntatem, iure approbatus. *arg. l. asse. 77. ff. de hered. instit. l. institutio. 10. ff. de Conditio. institution.* Hac igitur ratione absq; legibus loquermur. *contra Novell. 18. c. 5.* (2) quia Testamentum solet in iure codicillo opponi. Conferantur textus in *hac l. nost. 14. ibi: non codicillum sed testamentum. l. si idem 7. C. de Codicill. l. generali 13. ibi: vel testamento vel codicillo. C. de SS. Eccles. l. si quis patronorum 3. C. de bonis libertorum. §. codicillis. 2. J. de codicil. l. fina. C. testam. quemad. aperiantur. l. 1. 2. in pr. & §. 1. l. 3. pr. & §. fin. l. 4. 5. 6. §. fin. l. consi- ciuntur. 8. ff. de iure Codicill. l. si quis codicillos. 25. ff. de Sena- tus consulto Sillani, cum aliis textibus quamplurimis.*

Corol-

Corollarium. (1)

Quæstio jucunda & perutilis est : An legitima filiabus ex feudis debeatur ? Negamus (a)
Et ne quidem ex feudo novo pecuniâ patris emto. (b)

a) Ratio (1) est, quia textus feudales desiderantur. E. quia non hoc cum lege agimus, erubescimus. *arg. Novel. 18. cap. 5.* (2) quia ratio juris feudalis non admittit, legitima enim debetur liberis vel ab intestato vel ex testamento succedentibus. *l. cum quaritur. 6. l. parentibus. 8. C. de inoffic. testamento.* Sed filia non succedunt in feudis ab intestato. *1. f. 1. §. hoc autem. 3. 1. f. 8. §. filia. 2. nec ex testamento. 1. f. 8. in fin. princ.* E. nec iis legitima debetur ex feudis. (3) quia legitima debetur filiabus ex bonis paternis tempore mortis in hereditate defuncti patris repertis *d. l. 6. C. de inoff. testam.* Sed appellatione generali bonorum, feuda non comprehenduntur. *2. f. 26. §. in generali.* Nec tempore mortis ista pecunia fuit amplius in hereditate patris, sed collata in emtionem bonorum feudalium. E.

b) Ratio est, quia generaliter dicitur, filias non succedere in feudis. *1. f. 8. §. 2. 2. f. 11. vers. ad filias.* E. nec in feudo novo emto, quia & hoc feudum manet feudum, nec naturam suam quoad successionem amittit. *arg. 1. f. 20.* Et in hanc sententiam Scabios Witebergenses pronuntiasse refert. *Schrader. tract. de feudis. part. 7. cap. 5. n. 55. in fine.* Si tamen alia bona hereditaria non adsint, humanitate & æquitate ita suadente, hoc observatur, ut filiabus ex feudo novo pecunia

cunia patris emto, alimenta. *arg. tex. r. f. d. §. 2,* & dos congrua, *arg. l. 2. ff. de iure dot.* Secundum cognitionem & moderationem domini præstentur. *Hartman. Pistor. lib. 2. q. 37. in princ. & n. 18. Coler. p. 1. decis. 213.* Atque ira amplissima Facultas Juridica Lipsiensis sapissimè pronuntiavit.

Coroll. 2.

Æruscatores hodierni, qui communiter *Ripper und Wipper* appellantur, an testamentum condere possint, in quæstionem vocari potest? *Nega.*

Rationem accipimus ab usurariis manifestis, ducto argumento à minori ad majus, quo auctores juris sapissimè uti solent. *l. omnium. 19. vers. sicut ergo. C. de testament. l. si quando. 19. vers. si enim pro toto. C. de testibus. l. fina. C. qui etate vel professione se excusant.* Si enim usurariorum manifestorum testamentum non valet, ob usurarum voraginem, quæ animas devorat & facultates exhaurit, *cap. 1. in prin. De Usuris in d. &* labem maximam, quæ tanta est, ut ad communionem altaris non admitti, nec Christianam sepulturam recipere debeant. *cap. 3. ext. de usuris,* nisi priùs de usuris iniquè extortis satisfecerint, vel de reddendis iis cautionem præstiterint. *cap. 2. de usuris in d.* Ita multò minus testari poterunt pestiferi isti æruscatores hodierni, qui tanquam pecuniarum mercatores & furtivi monetæ corruptores, non tantum usurariis, sed apertis etiam adulteratoribus monetarum sunt pejores, dum quæ-

C

stuofo

suosuo suo compendio operam navantes, sibi quidem
per fasq; nefasq; profunt, Rempublicam autem, ma-
gno aliorum & ferè irreparabili damno, deprædan-
tur. Uti de hoc hominum genere bellè loqui-

tur *Dambuderi* in *sua praxi criminali cap.*

65. nu. 11. & cap. 125. n. 17.

F I N I S.



Ad




Ad
Nobilissimum, & Florentissimum,
Dn. Respondentem.

LOSSIADUM clara est Europæ fama per oras,
Fama nec hæc ullo est interitura die.
Hanc ut dilates, excellam, ABRAHAME, cathedram
Conscendis, magni furcule magne PATRIS,
Quos Testamenti ratio, & Natura requirat,
Explanans mirâ dexteritate modos.
Mirantur genium, ingenium mirantur & omnes,
Et fat maturum judicium, ante dies.
Pergito ita, & meritis meriti merita adde PA-
RENTIS:

Nec deërit meritis parta Corona tuis.

M. Zacharias Schneider Fac.
Philos. p. t. Decanus



LA vertu, la noblesse, avecques la Science,
Toutes trois, cher amy, font en toy demeu-
rance.

Ta ra-

Ad



Ta rare & grand' vertu te fait de tous aymer:
Ta noblesse te fait d' un chascun estimer:
Mais ton rare Searvoir fait que chascun t' admire,
Et si je le voulois, ainsi qu' il faut, descrire,
Je recognois fort bien, qu' il me faudroit auoir,
Avecques ton esprit, ton rare & haut Searvoir.

Jacobus VVemmaring
Lunæburgicus.



... ..
... ..
... ..

01 A 6518

ULB Halle 3
002 937 514


VD 17

Reise ✓

... ..



Handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, arranged in a single column. The text is written on aged, yellowish parchment. A large, decorative initial letter 'B' is visible in the lower half of the page, written in blue ink with red and white filigree. The text is somewhat faded and difficult to decipher due to the age and handwriting style. There are some faint markings and numbers on the right side of the page, possibly indicating folio or line numbers.

Handwritten marginal notes in the left margin, including the word 'Liber' and other illegible text.

Handwritten marginal notes in the bottom left margin, including the word 'Liber' and other illegible text.





XXVI.
SOLO FAVENTE DEO.
DECAS

**TESTAMENTARIARUM
QVÆSTIONVM,**

Quam

*Ad l. 1. 2. 3. 4. 8. 9. 12. 13. & 14. ibiq; notata
Doctorum C. de Testamentis.*

*Auctoritate & decreto amplissimi Jure Consulto-
rum Ordinis in Academia Lipsiensi.*

SIGISMUNDUS FINCKELTHAUS,
J. U. D. & P. P. publicè discutiendam
proponit.

ET

Respondendo defendet

ABRAHAMUS à Rosß Eques Misnicus.

Ad diem 4, Junii, horis locoq; consuctis.

ANNO

M. DC. XXII.



Excudebat Lipsiæ Justus Jansonius Danus.

